

et, ut si venator feram jaculo interimere volens hominem occidat. *Causa generalis* dicitur illa, quæ plures effectus inter se similes, *particularis* vero, quæ unicum effectum producit. *Causa univoca* est illa, quæ effectum sibi similem producit, ut planta plantam aliam; *equivoca* vero quæ effectum sibi dissimilem producit, ut artifex statuam. *Causa totalis & adæquata* vocatur illa, quæ solitarie accepta integrum totumque effectum producit, ut si currus ab uno equo, pondus ab unico homine moveatur. *Partialis* vero vel *inadequata* dicitur, si in producendo effectus cum altera causa conjugatur; ideoque effectus ab utraque causa simul operante oritur, ut si pondus idem a duobus hominibus feratur.

V. Denique *effectrix* vel *efficiens* causa respectu alicujus effectus, aut vere *efficiens* aut *occasionalis* solum censi debet. *Efficiens* veraque effectus causa dicitur, si ad effectum ipsum producendum natura sua dirigatur, ipsumque virtute sua producat. *Occasionalis* autem vocatur illa, quæ licet effectum ipsum minime producat, efficiensem tamen causam excitat, illamque ad operandum impellit; ideoque occasione ipsi præbet, ut suam virtutem exerat, & effectum producat, qui, sublata hujusmodi occasione, minime produceretur. Ad hæc ipsa causarum occasionalium genera revocantur conditiones illæ, quæ necessario requiruntur ut *efficiens* causa vim suam exerat & effectum producat; ita ignis comburere, novumque ignem producere non poterit, nisi lignum admoveatur. Itaque qui lignum